

Descriptio

Itineris Obsidum Religiosorum Monasterii Ossecensis a Milite Borussiae abductorum
In bello Septennali Anno 1759, die 18. Novembris.

Herausgegeben und mit Anmerkungen begleitet von Athanas Wolf, O. C.

(Conclusio ad fasc. I. pg. 47—57.)

Praeterea ostenditur una crepida B. V. Mariae, unus calceus S. Norberti quondam ibidem Archiepiscopi, scala in qua gallus kykerisavit, dum S. Petrus negavit Christum Magistrum suum; palmae puerorum hebraeorum, quas gestaverunt et straverunt in via Christo Domino Jerusalem ingredienti; vasculum, in quo Pilatus lavit manus dicens: innocens sum a sanguine iusti huius. In medio chori iacet Otto Magnus¹⁾ Imperator ac Archiepiscopatus huius fundator, uxor vero eius Editta post maius altare. In medio ecclesiae prostat baptisterium ex porphyro, quod iterum ad unam millionem aestimatur; ex parte dextra spectabilis est cathedra ex alabastro pulcherrimis exornata figuris eiusdem materiae. In choro figurali artificiosum est organum, in quo dum oraginista annue semel, nempe in festo S. Michaëlis, ludit, figurae eius, ut David cum cithara, maiores Angeli cum tubis et tympanis, minores vero cum aliis instrumentis secundum tactum musicum se movere et gallus supra organum sedens alas suas iactare ac kykerisare solent.

His spectatis per »plateam spatiosam« seu »latam« redi-
vimus ad hospitium nostrum, et pedem e domo amplius movere
non ausi sumus, quia 24. Decembris seu in vigilia Nativitatis
Domini Magdeburgum venit unus hussarus de regimine
Kleistiano, qui apud Commendantem impetravit, quatenus strictius
haberemur et includeremur, atque ab hoc tempore usque ad
nonam Februarii fratres strictioris clausurae fuimus. Quamquam
autem exire nobis non licuerit nec quisquam nos accedere ausus
fuerit, tamen ex mandato Gubernatoris Pater Albertus Dominicanus
catholicorum militum Capellanus frequentius nos invisere debuit,
per quem miseria nostra per illa monasteria percrebuit, quae tam
in Ducatu Magdeburgensi, quam Principatu Halberstadiensi hodieum
existunt, de quibus supra in descriptione mei itineris ad Belgium
mentionem feci. Monasteria illa pro solatio nostro non solum
quendam numulum, sed de necessariis etiam submiserunt, et
quidem Venerab. Domina Abbatissa de Altenhaldensleben 50
imperiales; Venerabilis Domina Abbatissa de Majndorf 60
imperiales; Venerabilis Dominus Praepositus de Hammersleben
25 imperiales, alia monasteria indusiis,²⁾ mantilibus, strophis³⁾

¹⁾ Demselben verdankt Magdeburg die herrliche Domkirche (seit 1208
in jetziger Form).

²⁾ Hemden.

³⁾ Vorhemden. — D. H.

et aliis rebus nos providerunt aliaque solatia praestiterunt; Deus uberrima sua benedictione refundat haec beneficia, quorum et nobis perpetua manebit memoria.

Septima Februarii nobis intimatum fuit nos post tres dies Lypsias transportandos atque ibi per commutationem borussicorum obsidum liberandos esse. Ut autem ante abitum nobis liceret monasterium ordinis nostri in nova civitate ad S. Agnetem videre, rogavimus Dominum Commendantem, qui petitioni nostrae annuens pro comite viae unum Capitaneum catholicum nobis assignavit, cum quo per moenia ad videndum praedictum monasterium exivimus et redivimus.

Decima Februarii circa horam octavam matutinam aderant currus duo tales, in quibus rustici eadem in regione solent vehere fimum,¹⁾ quos conscendimus, et sub protectione unius Procenturionis et nonnullorum militum Magdeburgo discessimus; circa horam undecimam Salzam venientes paululum descendimus fontem salis et fabricam, ubi sal conficitur, lustraturi; sumpto quoque ibidem militari ientaculo Kalbam perreximus, ubi pernoctantes pro exigua coena caupo petiit quindenam imperialium, nobis autem stupentibus et interrogantibus, an forte per iocum hoc dicat? respondit: revidebo iterato computum, et descendens per gradus atque rediens supra 15 imperiales adhuc 8 bonos grossos petiit; ne igitur saepius descendendo et ascendendo amplius quid petere possit, quindenam hanc imperialium cum 8 grossis solvere oportebat.

Undecima Februarii pretioso hospiti valedicentes iter nostrum direximus Koethnam, quae civitas simul est residentia Principis de Anhaltkoethen; sub via traicientes fluvium Salam vidimus Bernburgam, residentialem civitatem Principis de Anhalt-Bernburg. Circa 4tam appropinquantes civitati Koethenensi in praesentia multae plebis ad curiam deducti fuimus, ubi sicut commodissimum hospitium invenimus, ita honestissimam coenam levi pretio solvimus.

Duodecima Februarii in presentia et concursu populi abhinc discessimus et per civitatem Zerbieh.²⁾ ubi pransi sumus Landsbergam properavimus, hic ex defectu equorum diem quietis fecimus; ne tamen totam diem hoc in loco consumeremus otio, templum perantiquum extra civitatem cum Procenturione nostro lustravimus, deinde redeuntes accessimus loci pastorem animarum seu Magistrum, qui visitationem nostram sibi ducens honori proposuit nobis vinum, tandem reduces ad hospitium nostrum musica reliquum tempus transegimus, hospes enim noster

¹⁾ Dünger.

²⁾ Zörbig. — D. H.

stimulante Procenturione necessaria procurabat instrumenta, itaque in Domino gaudentes, quamvis in aliena terra exulantes clausimus diem istum. Februarii 14ta ex hoc loco ad stationem liberationis nostrae Lypsias cum gaudio contendimus, ubi quidem a Praefecto vigiliarum sub spe redemptionis suscepti, et interim per triduum ad arcem (seu ut vocare solent: die Pleisse-Burg) deducti. reliquis obsidibus toti nimirum Lypsiensi senatui et Mercatoribus conceptivi effecti sumus; quia tamen novi recentesque obsides a milite borussico tam ex Thuringia, quam Eisfeldia abducti sunt, ideo cum hoc triduo etiam evanuit nostra redemptio. Nos igitur, dum in loco humido et foetido [foetidum appello, quia communis latrina¹⁾ in eodem, quod inhabitavimus, fuerat cubiculo] continuo haerentes auram recentem capere non potuimus, quamquam nobis quotidie licitum fuerit regiam adire capellam, quam tres Jesuitae seu nunc Exjesuitae perpetuo administrant propter catholicos, qui non pauci Lypsiis habitant, quia tamen paucis haec capella gressibus ab habitatione nostra distabat, hinc infirmari coepimus omnes, quare Domino Commendanti supplicavimus, quatenus saniore hospitio nos gratiose providere dignaretur; annuit quidem petitioni nostrae, sed cum hac clausula, ut patientiam haberemus usque dum Senatus Lypsiensis ab obsidatu suo fuerit absolutus, tunc nos in illorum locum succedere et habitare posse, quod et ad principium hebdomadae sanctae factum est.

Habitavit clarissimus hic senatus in contignatione²⁾ superiori, nos in inferiori seu vallo, et quia per occultos gradus nobis patebat communicatio, ideo nos ascendendo ad Illos et vicissim Illi descendendo ad nos, familiaris ad invicem conversari coepimus, quae familiaris conversatio nobis dein multum fuit proficua. Postquam enim Illi ex aresto suo fuissent dimissi et nos privilegio exeundi donati, ad suos hortos nos invitarunt, ut videremus Lypsiensem amoenitatem, et Illi vicissim nos visitarunt, ut audirent nostrae musicae suavitatem. Privilegium seu licentiam exeundi ad civitatem de arce et clausura nostra procurarunt nobis Mercatores Itali hac occasione: hi tanquam ferventissimi catholici visitarunt nos frequentius, dum in loco humido et foetido infirmitate corporis laborare coepimus; ut igitur auram recentem capere possemus, paulo ante festa paschalia offertum vinale fecerunt Domino Commendanti cum hac petitione, ut pro praesentibus his festis liceret ipsis nos ad se invitare ad prandium per ordinem. Concessit petatum absque difficultate Commendans hoc solum adiiciens, quatenus non in veste religiosa tentaremus

¹⁾ Abort.

²⁾ Stockwerk. — D. H.

exitum, ne forte tumultus fieret in populo; ad praevertendum igitur hoc periculum Domini Itali tot nobis submiserunt vestimenta, quot numero fuimus Religiosi, et quidem incipiendo a paroca usque ad indusium, Schedam quoque nobis a Domino Commendante subscriptam immanuarunt, quam exeuntes exhiberemus Officiali, qui cum suis subordinatis militibus custodiebant portam, quae ducebat ad civitatem. Erat autem tenor talis:

»Der Wachthabende Offizier wird von denen Geistlichen aus Böhmen, so hir als Geissln in Verhaft sind, Täglic 4 bis 5 passiren lassen bis es herum ist. Major von Keller
Commendant.“

Tribus igitur diebus festis alternatim apud Italos, de quibus 15 Familiae tunc temporis Lypsiis existebant, comparuimus in prandio, quo sumpto nos ducebant primo per civitatem, in qua spectavimus domos pulcherrimas et habitationes altissimas, ita ut supra 4tam et 5tam contignationem etiam homines sub tectis habitent, quod nocte grande spectaculum et pulchrum visu est; mundities summa servatur in plateis, quae etiam nocte per accensas lampades ita clarescunt, ut hominem a longe dignoscere possis.

Horti circa totam civitatem habentur deliciosissimi et pretiosissimi, ita ut centenis etiam millibus imperialium aestimentur. Festa paschalia haec fuerant lapsa, sed numquid cum festis terminus quoque exeundi elapsus esse debebat? Ita iuxta schedam Domini Commendantis nostri confratres opinabantur plerique, sed quia Pater Stephanus et frater Clemens generosiores et audaciores praedictam Domini Commendantis schedam aliter sibi interpretabantur, nempe illam pro omni tempore valere posse, cum sensum habeat amphibologicum, proinde hi duo protestantibus et reclamantibus omnibus aliis cum praedicta scheda Officiale vigiliae accesserunt, et feliciter iuxta suam interpretationem pro omni tempore et die exitum impetrarunt, qua dein exeundi libertate eousque usi sumus, donec nobis iterum Magdeburgum migrandum fuerat.

Contigit autem haec transmigratio 22. Junii propterea, quia miles Austriacus tentavit circa Lypsiis accessum, et ne forte nos et alii tum obsides tum captivi milites liberarentur, ad locum securitatis remissi sumus. Venientes igitur 25. Junii Magdeburgum ducti sumus ad stationem praetoriam (vulgo Haupt-Wacht), ubi Dominus Commendantius Supremus locum-tenens¹⁾ de Reichmann his nos verbis excepit: quid fecerunt charissimi Religiosi, quod iterum mihi tradantur ad custodiam?

¹⁾ Lieutenant. — D. H.

Et compatiens iniquae sorti nostrae incepit nos consolari dicens: boni sint animi, melius iam nunc habebuntur quam alias, et quia 6 milites praesto erant, qui nos ad novum hospitium deducere atque custodire debebant, hinc praefectus vigiliarum eos dimittens dixit: hi Domini non amplius indigent custodia, certus enim sum, quod nullus dabit fugam; et ipse nos comitans usque ad domum mansionis nostrae: ecce inquit, haec ipsorum erit habitatio, modo nihil superest, quam ut cum hospite suo contrahant, quid menstrue ipsi solvendum erit, militem pro custodia non habent, nunc cum Domino Commendante loquar, ut propter exercitium Religionis ad novae civitatis monasterium libere exire possint, et accepto uno aureo se humanissime commendans discessit. Nos igitur, ut sciremus, quid pro hospitio pendere deberemus omni mense, cum Domino hospite nostro tractavimus; petiit ille menstrue 50 imperiales, descendit tamen post multam altercationem usque ad 30, quos etiam tanto libentius solvimus, quanto commodius nunc habitavimus. Magna quidem haec summa non nemini videbitur, sed respectu primi hospitii ad ceruleum lucium, pro quo 24 imperiales solvere debuimus, non est facienda comparatio, ibi enim unicum habuimus cubiculum et cameram, hic praeter spatiosam salam etiam quinque inhabitavimus cubicula, et quidem omnia tapetibus exornata, pulcherrimis mensulis, sellis, speculis magnis, et aliis necessariis provisus; habuimus ergo in domo hac non modo omnem commoditatem cum libero exitu ad monasterium Ordinis nostri in nova civitate, dictum ad S. Agnetem, propter Religionis exercitium; verum etiam licuit nobis sicut et aliis obsidibus ex diversis Regionibus et provinciis cum permissione Domini Commendantis exire ad monasteria extra urbem sita et per dies aliquot foris manere, quamvis non omnibus simul, sed successive; quosque tandem Princeps Hassocasselanus a Vice-Gubernatu absolutus et Generalis Asseburg pro novo Vice-Gubernatore denominatus fuisset. Hic nobis omnem exitum strictissime prohibuit, et quamvis Patronos Patronasque potentes pro recipienda exeundi libertate acquisiverimus, tamen eam amplius concedere noluit praetextens, sic voluntatem Regis esse, donec tandem ex consilio unius Domicellae Ipsius Reginae, vulgo Hof-Dame [nam propter musicam nostram bene noti fuimus tam apud Ipsam Reginam, quam Principem Ferdinandum, Regis fratrem, et Principissam Amaliam¹⁾ Eiusdem sororem] petitionem ad Principem Henricum, Regis fratrem, misissemus, quam praedicta

¹⁾ Amalia (Anna A.), geb. 1723, seit 1744 Aebtissin von Quedlinburg, spielte, eine Schülerin Kirnbergers, sehr gut Klavier und componirte selbst vortrefflich. — D. H.

Domicella suis litteris inclusit atque fratri suo, qui Principis Henrici Adjutantius erat, cum commendatione porrexit et his verbis compilata fuerat :

Monseigneur Prince Royal Serenissime!

Pardonnez nous une hardisse, à la quelle nous a porté votre Clemence même. Nous n'aurions jamais osé incommoder votre Altesse d'une supplique, si le caractère digne d'un Prince nous était inconnu en vous, par le quel vous daignez vos grâces à tous les malheureux, pourvu qu'ils ne s'en fassent indignes eux mêmes. Nous parlons ici de nous mêmes, qui sommes des ôtages du convent d'Ossec. qui avons le malheur d'être éloignés de notre convent, il y a déjà plus de deux ans. L'unique soulagement, que nous avons en jusqu'ici, était d'avoir eu la jouissance d'assez de liberté sans doute par vos grâces sous le commandement du Commandant d'auparavant Lieutenant Colonel Monsieur de Reichmann, de faire notre service Divin dans le convent situé dans la ville neuve, comme aussi d'aller quelques fois dans un convent situé trois lieues d'ici, pour conserver notre santé et pour retablir nos coeurs abbatus, ce que le Général d'Assenburg nous a refusé à présent totalement s'excusant de ne pas pouvoir nous accorder ce soulagement sans exprès Ordre de Votre Altesse Royale. Nous nous prosternons ainsi devant cette source de grâces, de la quelle nous pouvons espérer tout, suppliant du nous accorder gracieusement ce soulagement, que nous avons eu autre fois. Nous ne voulons alléguer aucun autre motif pour obtenir ce, dont nous avons eu l'honneur de Vous supplier, que votre grâce seule pour la quelle nous prions ardemment Dieu, afin qu'il Vous accorde une longue suite d'années accompagnées d'une infinité de toutes sortes de prospérités. Souvenez vous seulement de ce, que Vous êtes le Prince le plus Clement, et nous sommes assurés d'avance, que Vous nous accorderez une chose, qui n'est point du tout préjudicieuse aux intérêts de sa majesté le Roi, mais qui donne seulement un petit soulagement à ces malheureux, dont le soin principal sera à l'avenir de tâcher toujours de mériter vos grâces; daignez nous afin l'honneur d'être jusqu'au dernier soupir

De Voltre Altesse Royale

très-humbles
Serveurs.

Ad petitionem nostram hanc subsequam accepimus epistolam responsoriam propria Regii Principis manu subscriptam :

Messieurs !

Je suis bien aise, que vous étant adressés à moi, vous m'avez donné l'occasion de vous témoigner, combien je desire de vous être utile à quelque chose. Je viens d'écrire en conséquence de ce, que vous me demandez par votre lettre du 15 de ce mois au General d'Asseburg, et s'il n'y a point d'Ordre du Roy, qui soit contraire, il vous accordera toute la liberté, dont vous avez jouie sous le commandement du Lieutenant Colonel de Reichmann. Soyez au reste persuadés Messieurs, que ce sera toujours avec beaucoup de satisfaction, que je tâcherai de vous obliger, et de vous donner des marques, combien je suis

Messieurs

Votre très-affectionné

Hofe 25 Febr. 1762.

Henri m. p.

Litterae gallicae transpositae in latinum:

Princeps Serenissime!

Parce audaciae nostrae, qua Clementiam tuam implorare praesumimus. Nunquam Tibi nostro libello supplicii molesti esse ausi fuissimus, nisi sciremus Te illum Principem esse, qui infelicibus gratiam tribuis et misericordiam. Nos loquimur hic de nobismetipsis, qui de Osseco obsides abducti iam in annum tertium exules a monasterio nostro vivimus. Unicum solatium, quod iugum captivitatis nostrae hucusque alleviavit, erat illud, quod indubie favente Tua gratia sub priore Commendante Supremo locumtenente Domino de Reichmann in novae civitatis monasterio ad S. Agnetem dicto non tantum Religionis exercitium habere, verum etiam tam ad conservandam sanitatem quam ad relaxandos animos subinde ad aliud monasterium tribus leucis¹⁾ a civitate dissitum exire potuerimus, quem favorem nobis ex integro interdixit Dominus Generalis de Asseburg praetextendo, se non posse amplius hoc nobis concedere sine expressa ordinatione Tua, Princeps Serenissime! Nos igitur accedimus ad hunc fontem gratiarum prosternentes nos ad pedes Clementissimi Principis atque humillime supplicantes, quatenus illud ipsum solatium nobis gratiose iterum concedere digneris, quo alias nobis frui licuit. Nos hic nolumus aliud allegare motivum ad obtinendum, quod petimus, quam solam Tuam gratiam, qua nobis praestita Deum incessanter exorabimus, ut Tibi cum longitudine dierum etiam omnem prosperitatem largiri dignetur. Recordare solum Te

¹⁾ leuca = französ. Meile (1500 Schritte). — D. H.

Principem esse Clementissimum, et nobis iam in antecessum blandiri possumus. Te non negaturum illud, quod Regiae Suae Majestati nullatenus praeiudiciosum, nobis autem miseris multum solatiosum erit. Noli denique indignari nobis, qui totos quantos Tuis gratiis nos devovemus, et cum profundissimo Venerationis cultu inclinamus

Tibi

Serenissimo Principi

humillimi Servi.

Litterae responsoriae Principis ad nos obsides :

Gaudeo, quod ad me scribentes eam mihi occasionem praeberitis, qua vobis ostendere valeam, quam ardentem desiderem vobis in re aliqua servire posse. Scripsi Generali de *Asseburg* ratione huius, quod per vestras literas 15 Feb. exaratas a me requiritis, et si ille nullam interea contrariam ordinationem Regis obtinuit, concedet vobis omnem libertatem, qua frui alias sub Commendante Supremo locumtenente de *Reichmann* vobis licuit. Ceterum firmum tenete, mihi summo fore solatio, si per servitia mea vobis demonstrare possim, quod sim

Vester affectissimus

Henricus m. p.

Haec epistola inclusa fuit ad illam Domini Generalis de *Asseburg*, quam etiam nobis absque longiore mora immanuari fecit cum addito: se nobiscum non velle habere amplius quidquam agendum, sed si necessitas postularet, tantum Dominum Commendantem accederemus. Quis magis gaudere potuisset quam nos, qui per clementiam boni Principis libera exeundi facultate iterum donati fuimus, qua per asperitatem unus inhumanus Generalis absque causa nos privavit a 21ma Novembris usque ad initium Martii, id est a festo Praesentationis B. V. Mariae, quo die quatuor de confratribus nostris propter suscipienda Sacramenta et devotionem suam peragendam ad monasterium Sanctae Agnetis exeuntes a Supremo locumtenente redire iussi et per milites ad Generalem *Asseburg* ducti fuerunt, qui eos tam duris et atrocibus verbis perstrinxit, quasi nescio quod crimen immane commisissent. Nos laetitia inenarrabili exultavimus, quod huic Generali ocularia procuraverimus, et fautores nostri nobis congratulabantur; sed gaudium nostrum post paucos menses versum est in luctum, dilectus enim confrater noster *Clemens John*, qui saepius pro facienda musica invitatus fuerat tam ad Principem *Ferdinandum* Regis fratrem, ad Principissam Eiusdem sororem, quam ad ipsam

Reginam, apud quam etiam semel hanc gratiam habuit, quod in Natali Regis sub publica tabula non modo ad salam ingredi, Suae Majestati manum osculari potuerit, verum etiam tabulam circumire, cum assidentibus Domicellis loqui, imo et de bellariis Regiae mensae sibi accipere licuerit; hic, inquam, dilectus confrater circa 20 Maji infirmari coepit. Vocatus est medicus noster ordinarius, qui purpura¹⁾ maligna ipsum laborare dixit, qua de infirmitate ut ipsum eriperet, omnem sollicitudinem impendit, ter quaterve infirmum quotidie invisit, et quia elapsis septem aut octo diebus infirmus in iisdem circumstantiis mansit, cum approbatione medici ordinarii vocatus est et alius, nimirum qui ordinarius fuerat apud Principissam Amaliam, Regis sororem, hic cum infirmi cubiculum ingrederetur, ex odore malignitatem adesse dicebat; videns igitur infirmum et lustrans medicinam consilium inter se capiebant, et ex conducto saepius infirmum simul visitabant. Tandem fama divulgata de aegritudine confratris nostri, hoc etiam per Domicellas ad aures Reginae pervenit, quae proprium suum medicum ad nostrum infirmum curruliter misit; quem nos perhumaniter salutatum ad cubiculum infirmi duximus. Hic postquam patientis pectus lustrasset et praescriptas medicinas degustasset, dixit: natura decumbentis propter iuventutem quidem valida, et medicina bona, sed infirmitas est periculosa; interim serventur, quae ab ordinario sunt praescripta, post diem criticum reversurus videbimus, qualis mutatio intercesserit. Lapsa igitur die tertio rursus ad nos venit hic Dominus Reginae medicus, et viso infirmo ac eius salva venia lotio.²⁾ non evasurum illum praedicens discessit, et revera die postero, quae erat decima Junii 1762 circa horam 9nam matutinam ultimum vitae emisit Spiritum, qui dein more ordinis in monasterio ad S. Agnetem sepulturam obtinuit.

Nos interea expectavimus de mense ad mensem, de anno ad annum redemptionem nostram, sed finis obsidatus nostri venire noluit, nisi ipso dello finito, ubi omnes tam captivi milites, quam obsides per commutationem ad propria redierunt, quod contigit 1763 stabilita pace in Saxonia in arce Sancti Huberti (vulgo Huberts-Burg). Prima igitur Aprilis erat et dies Parasceve Domini, quando nobis annuntiata fuit liberatio nostra; quia tamen hoc sacro paschali tempore iter aggredi non voluimus, proinde sexta huius, id est die Mercurii, post celebrata festa paschalia mane circa horam octavam Magdeburgo valediximus iter nostrum dirigentes usque Kōthnan, ubi pernoctavimus.

Altero die ad vesperum salutavimus Lypsiis Benefactores

1) Purpura scarlatina (febris scarl.) = Scharlachfieber.

2) Harn. — D. H.

et Fautores nostros mercatores Italos, in quo loco mansimus usque ad diem dominicum propterea, ut Religionis nostrae potuerimus peragere exercitia atque celebrare missam, et hora nona matutina inde discessimus; voluimus quidem accelerare iter nostrum, sed venientes Bornam, ad primam stationem postae, nec equum invenimus pabulatum nec currum debite praeparatum, quare ad bihorium circiter hic detenti media nocte cum summo periculo vitae venimus usque ad unam propinam, quae nominatur »aurea equi ungula« sive »solea.« Ex hac popina altero die discedentes prandium nostrum sumpsimus in civitate Penig, vesperi autem appulimus in civitate Chemnicensi, hic propter adventum Saxonici Principis Xaverii non valentes acquirere equos per diem unum morari coacti fuimus. Decima tertia huius rursus aggressi sumus iter nostrum, et transeuntes Tschopam¹⁾ civitatem nocte mansimus Marienbergae, sequenti die sumpto intaculo perreximus ad montem Sancti Sebestiani;²⁾ in hac civitate celebravimus missam, et soluto prandio nostros currus denuo conscendentes per Commotivium Wischezanam³⁾ contendimus, ubi a Religiosis Dominis confratribus nostris, Venarabili nempe Patre Bonifatio paroco et Reverendo Patre Henrico tam fraterne quam honorifice beneventati et bona coena refecti fuimus.

Decima quinta tandem comitante nos Venerabili Patre Bonifacio ad monasterium nostrum remeavimus, et facta filiali reverentia Reverendissimo Domino Cajetano⁴⁾ Abbati ac Patri nostro, Ille suspirans cum Patriarcha Jacob quasi de gravi somno evigilans dixit: »Deus sit benedictus, quod iterum videam filios meos!«

Juncti itaque coetui confratrum nostrorum Deo Optimo Maximo gratias egimus, qui per angelos suos custodivit nos, et hinc euntes et ibi commorantes, et inde huc revertentes.

Die Essener nach Jos. Flavius und das Mönchthum nach der Regel d. hl. Benedict.

Von Prof. P. Robert Wuku, O. C.

Die dem Mönchthum zu Grunde liegende Idee ist eine allgemein menschliche: Sehnen des Menschen nach immer innigerer Einigung mit Gott durch Abstreifung von allem Irdischen. Dadurch bestimmen sich auch die objectiven Grundlagen des Mönchslebens, als die von jeher die Gelübde der Armut, der Keuschheit und des Gehorsams

1) Zschopau.

2) Sebastiansberg.

3) Wissotschan.

4) Cajetan Brezina von Birkenfeld. — D. H.